



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Ivstitia Et, Ivs. Sex Libris totidem Tractatus appono, nempe de rerum
Dominio, de Restitutione, de Contractibus Gratuitis, de Contractibus
Onerosis, de Contractibus Fortunæ, de Contractibus Adminicularis, de
Quasi-Contractibus, & nonnullis Innominatis

Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663

5. De causis à præcepto audiendi Sacrum excusantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80681](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80681)

Secl. I. De Præcepto I. Recept. Sentent. 5

CAPVT V.

De causis à præcepto audiendi Sacrum excusantibus.

32 *Prima causa*
Prima causa excusationis est spiritualis impotentia, id est, ex spiritualis causa proueniens, qualis esset, si fide data, & maxime iuramento obfirmata, vel legitimo superioris præcepto quis obligatus esset, domi contineri. Vel si excommunicatus, vel interdictus esset. Porro licet negligens esset in absolutione censuræ procuranda, non obinde aduersus hoc præceptum delinqueret. Quia ex vi illius non tenetur impedimenta tollere, quæ illius impediunt executionem, sed obligat, dum quis liber est, & expeditus Nauar. sum. c. 1. n. 1. Azor. l. 7. c. 7. q. 1. Suar. d. 88. sect. 6. nu. 1. Henriq. l. 9. c. 15. n. 11. S. v. Missæ auditio, num. 3. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 12.

33 *Secunda causa*
Secunda est corporalis absoluta impotentia, qualis esset, si ageretur qua quis afficitur, vel ob carcerem, quo detinetur, impotens esset Tempulum adire. Quia præceptum ad impossibilia obligare non potest, si privilegium habeas domi, in nauis, vel in carcere celebrandi, quo privilegio utens poteris à prædicta impotentia liberari, siquidem in carcere, vel in nauis detentus, vel domi ægrotans, Sacrum audire posses: adhuc ab hac obligatione te exemptum crediderim. Quia non teneris uti privilegio, maxime odioso iuri contrario communi, ac reuerentiæ Sacramenti parum conformi. Media igitur, quæ ad executionem præcepti obligaris apponere, debent esse per se ad illius executionem ordinata, non extraordinaria, & quæ tantum ex permissione conceduntur. Suar. d. 88. sect. 6. n. 2. Filio. tr. 5. n. 224. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 14. Laym. l. 4. tr. 7. c. 4. n. 3. Addunt Suarius, & Bonacina, te non esse obligatum Sacrum audire, si tibi necessarium est celebrantem conducere. Quia est medium extraordinarium neque in præcepto audiendi Sacrum contentum.

34 *Tertia causa*
Tertia est moralis impotentia, quam inducit aliquis boni mediocris æstimationis iactura, vel aliqua difficultas, vel labor non mediocris in Sacro audiendo. Quia hoc præceptum suæ & consequenter ex causa mediocriter graui eius obligatio cessare potest. Quæ autem sufficit, arbitrio prudentis relinquitur. Ex Doctoribus autem aliquos casus speciatim enumerato.

35 *Excusatur*
Excusatur qui ob audiendam Missam in periculum vite intemperie acris, vel ob inimicitias incurrit. Vel qui cum infirmus sit, vel non satis robustus probabiliter timet aggrauandam esse infirmitatem, vel conualescentiam retardandam. Sed ut securè procedatur, Medici, superioris, vel Parochi postulandum est. solum. Bonac. de Sacram. dub. 4. q. ult. pun. ult. num. 3.

36 *Excusatur*
Excusatur qui longe ab Ecclesia habitat, ad illamque absque graui molestia non potest accedere. Quod prudentis arbitrio est iudicandum spectata loci, temporis, ac personæ qualitate. Certè distantia per leuam, si pedibus iter est Esch. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

perficiendum regulariter excusatio & minor distantia, si nives, tempestates, vel imbres ingruant. Suar. d. 88. sect. 6. n. 3. Henriq. l. 9. c. 25. n. 10. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 12.

37 *Excusatur*
Excusatur, qui occasione Missæ audiendæ timet rixas graues oborituras vel propter veteres inimicitias, vel propter locorum ordinem, & dignitatem Nauar. sum. c. 1. n. 5. Azor. l. 7. c. 7. q. 1. locorum ordinem. Bonac. alius relatis. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 9. Suar. d. 88. sect. 6. n. 4.

38 *Excusatur*
Ob eandem causam Doctores communiter excusant mulierem, quæ timens iram mariti, Missam omittit, ut conuenienti tempore omnia præpararet, & occasionem perturbationis tolleraret. Quod intelligo de graui perturbatione, secus de leui, hæc enim patienter sustinenda. Henriq. l. 9. c. 15. n. 10. Suar. d. 88. sect. 6. n. 6. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 10. Idem assero, si maritus ob zelotipiam non permittat uxorem domo exire, quæ si abique graui incommodo vitare id non potest, poterit marito morem gerere ob proprium damnum vitandum. Henriq. Suarius, & Bonac. ubi supra. Azor. l. 7. c. 7. q. 1.

39 *Excusatur*
Excusatur, qui ab inimico grauem timet iniuriam. Et qui non valet abique dedecore in publicum apparere, eo quod veste decenti careat. Quia dum in eo statum est constitutus ei, qui vinculis alligatus est, comparatur leg. In eadem causa. ff. ex quibus causis. Huc spectat si vir, vel femina nobilis careat solito, ac decenti comitatu, ob cuius defectum timet grauius contemptum. Nauar. sum. c. 1. Henriq. l. 9. c. 25. n. 10. S. v. Missæ auditio, num. 3. Bonac. plures afferens de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 8. Idem dicendum, si femina innupta grauida sit, & occultare non valeat, nisi se domi contineat cum tamen à populo honesta reputetur. Palao v. 4. tra. 2. d. vni. pun. ult. n. 4. Limitarim verò, modo non possit secreto Sacrum audire.

40 *Excusatur*
Excusatur, qui bonorum temporalium iacturam probabiliter timet, verbi grati, si Sacrum audire non possit, quin domum solam relinquat, cum periculo furis. Hoc titulo excusatur viator, qui si Missæ assisteret, comites non haberet in via, qui eum à latronibus securum reddebant, vel onera deferebant, vel ducebant in via difficili, vel tedium longi itineris non leuiter leuabant: quibus prætereuntibus timet à grassatoribus diuexari, vel errare viam, vel onera deportare cogitur, ac facere expensas, vel cum graui tædio iter perficere. Secus esset, si nolum alind sequeretur incommodum, quam quod si solus deberet incedere. Quia ob leue solatium Missæ auditio non est committenda. Suar. d. 88. sect. 6. n. 3. Coninch qu. 83. art. 6. dub. vni. numer. 314. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 6. Laym. libr. 4. tract. 7. capit. 4. num. 3.

41 *Excusatur*
Excusantur gregum custodes, qui non possunt Missæ interesse, nisi grege solo relicto. Quia regulariter grauius damni periculum instat. Item mercatores agalanos armentorum, equorumque reductores si ut Missæ assisterent grauius facturi essent expensas Henriq. l. 9. c. 25. n. 10. Azor. l. 7. c. 11. q. 7. Bonac. de Sacram. d. 4. q. vni. pun. vni. n. 6. Coninch qu. 83. art. 6. dub. vni. n. 314.

42 *Excusatur*
Excusantur denique molitores, & quilibet alius, cui in die festo laborare permittitur, si

SCOBAR
Leos Mor.
m. V. V. V. II.
E. IV

si ob Missam
auditionem
opus debeat
interrumpi
pere.

si ob audiendam Missam opus interrompere deberet. Suar. d. 88. sect. 6. n. 3. Bonac. citatur. sed crediderim, hoc intelligendum esse, dummodo ex intermissione non levis rei temporalis iactura proveniat.

Quarta causa ex titulo charitatis sumitur, quando cui necessarium sit Missam omittere ut subveniat proximo, vel ne illi afferat damnum verbi gratia, sine agrotum deferat, cui eius est praesentia necessaria, ut medicamina opportuno tempore adhibeantur, vel ne gravem dolorem, & animi anxietatem solus reliquus patiat. Quod si dubius is fuerit, an eius praesentia sit necessaria, aut utilis valde, consilium alterius, si adsit, docet postulari. Raro autem cum Suario d. 88. sect. 6. n. 4. crediderim, eum, qui bona fide, & animi pietate procedit peccatorum lethaliter, licet eius praesentia necessaria non fuerit. Quia bona fides & animi perturbatio excusationem praestat. Ex hoc etiam capite Doctores excusant foemina, scientem se à viro perdit adamar, quae si Ecclesiam adeat, erit alteri occasio delinquendi. Sorus in 4. dist. 13. q. 2. a. 1. Filliuc. tr. 5. n. 227. S. v. Missa audiri, n. 3. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 5.

43
Quinta
causa, offi-
cium, vel
iusta obe-
dientia.

Quinta causa sumitur ex officio, vel iusta obedientia. Quo titulo excusantur milites custodientes castrum, portas ve civitatis, seu vigiliis agentes, quando sine periculo huius damni, si Missa intersint, suo muneri nequeunt satisfacere. Item matres, ac nutrices, quae infantem non possunt deferere, & satius regulariter est, domi cum eo morari, quam secum ad Templum adferre ob eius inquietudinem, quae adstantes molestat, ac celebrantem perturbat. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 5. Henric. l. 9. c. 25. n. 10. Coninch q. 83. art. 6. dub. vni. num. 186.

44
Quando
domini de-
ficientur?

Hoc titulo excusantur famuli, qui ut domini suis ministrant, Missam omittunt. Et quidem si ministerium sit necessarium iuxta commandum, & ordinatum vivendi more, vel iuxta occurrentes rationabiles occasiones, certum est, nec dominos delinquere precipiendo, nec patendo famulos, licet ex illo obsequio Missa omittatur. Quia adest gravis causa, ac moralis necessitas. Quod intellexim, dummodo famuli non possint mediocri diligentia adhibita opportunum tempus praeveneri, ut Sacro sit locus. Suar. d. 88. sect. 6. n. 5. Coninch q. 83. art. 6. dub. vni. fine. Porro non tenentur famuli, extraordinariam diligentiam adhibere, citius notabiliter assurgendo, & de somno secundum rationem moderato detrahendo. At si ministerium necessarium ita non sit, sed possit in alium diem, vel in aliam horam sine incommodo differri, domini inique agunt, id precipiendo, cum non solum sint obligati sibi subiectos à Missa audienda non impedire, sed debitam diligentiam adhibere, ut praepcepto satisfaciant. Sylvest. v. Missa 2. qu. 1. Navar. sum. c. 21. m. 9. & significavit D. Ambrosius hom. 33. Quadrag. relatus in cap. An putatis 86. dist. Vnde famuli si absque magno incommodo possunt subterfagere, ut Missam audiant, dominis non obtemperando, tenentur id gerere, quamvis aliqua levis rixa exoritur. Si vero necesse sit, aut dominos deferere, aut gravem eorum sustinere iracundiam, possunt excusari. Monuerim vero, debere famulos indicare dominis, se Sacram

Quando
domini de-
ficientur?

non audisse, ab eisque esculatorem expostulare, licet aliquantulum inde italcantur. Quia debent quantum commode possint praepcepti executionem procurare. Quod si monitus, & rogatus, facultatem negaverit, famuli erunt à piculo immunes. Profecto si hoc impedimentum Missae audiendae frequens fuerit, & quasi ex consuetudine tenentur, nata opportunitate, herum deferere, & alium requirere, cui inferendo Ecclesiae valeat observare praescripta. Coninch & Suarius ubi supra. Laym. l. 4. tr. 7. c. 4. n. 3. Quae de famulis dixi procedunt efficacius in vxore comparatione, ac filii comparatione mariti, ac parentis, & in militibus comparatione ducis, aliisque similibus ut Suarius n. 5. aduertit.

Quando
debent fa-
muli domi-
nos deferere?

Sexta causa sumitur ex rationabili consuetudine legitimo tempore praescripta à Pastoribus Ecclesiae tolerata, quae sicut potest legem introducere, ita praesistentem abrogare, aut temperare valet. Ex hoc titulo excusantur foeminae, quae per aliquot dies post partum ab Ecclesia abstinere ingressu, & si perfectè convaluerint, iuxta cap. vii. de purific. post partum. Ex reverentia scilicet, ac devotione, non ex superstitione, aut observatione ritus, ac legis Moisaicae. Caiet. v. Fello violatio. Suar. d. 88. sect. 6. Maiol. de irregular. l. 2. c. 3. n. 4. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. fine. Henric. l. 9. c. 25. n. 12. Obmensura tempora non est omittenda Missa, seculi aegritudine. Quia nulli est talis consuetudo. Navar. sum. c. 21. n. 9. Suar. d. 88. sect. 6. Henric. l. 9. c. 25. n. 12. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. fine. Ob mortem viri solent coniuges excusari à Sacro audiendo. Quia pluribus in locis est consuetudo recepta, ne è domo egrediantur ob honestatem ac decentiam vidualem, & ob tristitia documentum. Hae tamen consuetudo non est extendenda, nec pro omnibus viduis regula haec observanda; nobiliores enim longiori tempore se domi possunt congnere. Vnde Doctores non audent, hanc consuetudinem etiam annalem condemnare. Navar. sum. c. 21. n. 4. Henric. & Suar. supra. Viduae vero illae, quae non obstante hac consuetudine, domo exeunt ad alias res non aequè Sacras, aut vigentes, nullatenus valent excusari. Quia si viduitatis decentia, ac tristitia significatio non impedit exitum quo titulo potest ad Ecclesiam accessu impedire? Nobiles Virgines aliquibus in locis excusantur. Quia est consuetudo recepta, ne procedant in publicum. Ac si hanc violent consuetudinem ob ludos, seu publica spectacula aspectanda, haud crediderim excusari posse. Navar. l. 1. c. 1. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. fine. Presumendum enim est, consuetudinem eo moderamine receptam esse, ut fenestras fugiant, ac domo se contineant. Palao tom. 4. tr. 22. d. vni. pun. ult. n. 7. Porro si puellae huiusmodi non possint domi solae relinquere, ab audiendo Sacro excusari, non vi consuetudinis, sed vi muneris sui satisfaciunt, honorisque prospiciant. Navar. c. 21. n. 9. Henric. l. 9. c. 25. m. 12. Suar. d. 88. sect. 6. n. 6. Bonac. de Sacram. d. 4. q. ult. pun. ult. n. 1. Crediderim, raro haec necessaria fore. Potius matribus consulerem, ut filias secum ad Tempia ducant potius, quàm domi relinquant. Vix enim ob tanti praepcepti executionem periculum adest impudicitiae, praesertim si Ecclesias addeant, ubi non est adolescentum concursus

45
Sexta cau-
sa, rationa-
bilis pra-
scripta con-
suetudo.

Quid de
foemina
post partum.

Quid ob
mortem viri
conjugum.

Quid ob
mortem viri
conjugum.

Quid de
Virginitate

Sect. I. De Præcepto I. Recept. Sentent. 7

concurfus, & finito Sacro statim domum reuertantur.

Septima causa est maior utilitas, verbi gratia, si omittatur Missa ob peccata fatenda in calu necessitatis, quando vitæ adest periculum, & præceptum confessionis viget, nec in aliud tempus commode differri potest: vel cum quis crederet, si ob audiendam Missam Concionem relinqueret, non inuenturum postea, qui eam in rebus fidei, & necessariis ad salutem instrueret. Quia in his præcepta confessionis, & cognitionis Doctrinæ Catholice, vtpote diuina, humano, & Ecclesiastico præferenda. Palao p. 1. r. 2. d. uni. pun. ult. n. 8. & alij communiter.

Ultima causa excusationis sumitur ex parte Officii Sacerdotis, si sit nominatim excommunicatus, cuius summi aut manifestus Clerici percussor. Quia quilibet ex parte que tenetur eiusmodi Sacerdotem vitare maxime in rebus diuinis. Vnde si alius non sit, à

quo Missam valeas audire, ab obligatione eam audiendi excularisimo delinques, si audires. Suar. d. 88. sect. 6.

Denique etsi consultum sit, omittentem Sacrum, vel ex malitia, vel ex impotentia, aliquas orationes fundere, vt sic aliquo modo fructum Sacrificii compense: attamen nullo iure adstringitur ad eas profundendas. Quia nullo modo libi est cautum, loco Missæ præfatas orationes subrogari debere: alias essent orationes signatae, & non cuiusque arbitrio relicte. Missa præcipitur, vt eo Sacrificio Deus colatur, ab eoque misericordiam postulemus: sed non ideo omisso Sacrificio alia via est Deus ex obligatione precum substitutione colendus, aut exorandus. Quia licet maxime expediat, non tamen præcipitur. Azor. libr. 7. capit. 7. quest. 1. 4. Suar. d. 88. section. 6. Bonacin. de Sacram. d. 4. qu. vltim. punct. vltim. n. 16. Layman. l. 4. tract. 7. cap. 4. fine.

Non obligatur, qui Missam præfatas orationes effundere fructum Sacrificii compense.

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto audiendi Missam, Quæstiones Dubiæ.

CAPVT VI.

Circa huius Præcepti naturam, de diebusque pro quibus est impossum.

DVBIVM I.

An sit de Fide certum, dari præceptum de audiendo in Festis Sacro?

De fide est. **D**E Fide est. Quia dari præceptum constat ex cõmuni traditione, ac praxi Ecclesiæ, & ex puerorum Catechismo, vbi hoc præceptum inter Ecclesiastica annumeratur: & qui huic veritati, reclamauerit, tanquam suspectus aduersus sacra mandata punitur, quæ ex Fide sunt stabilita: ergo de Fide esse fatendum est. Sic Suar. tom. 3. in 3. part. d. 88. sect. 1. & tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 5. Fagund. præf. 1. lib. 2. cap. 1. num. 1. Petr. de Ledefma tom. 1. sum. cap. 27. Trullench. lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 5. num. 1.

De Fide non est. Quia nec à Deo reuelatum non est de esse inuenitur, nec aliquo loco definitum, Ecclesiam id præcipisse. Ita Hurtad. d. 5. de Sacrif. Miss. diff. 1. Lugo. Cardin. de Euchar. d. 2. a. numer. 1. Sotus in 4. dist. 13. question. 2. articul. 1. & alij.

Estimarim probabilis licet certissimum hoc mihi sit tale dari præceptum, non tamen de Fide probabilis esse. Fateor esse præceptum iure diuino fundatum.

tum obligans sub mortali, & eum, qui huic veritati reclamare ausus fuerit, tanquam suspectum aduersus sancta mandata, (vt ait Sotus) puniendum, sed dum non constat de Dei circa id reuelatione, nec de Ecclesiæ definitione, veritas hæc communi traditione, & praxi Ecclesiæ stabilitur, sed non ideo ex Fide constat roborari.

QVÆSTIO INCIDENTS.

Nũm in Quadragesimæ Feriis præcepti huius teneatur quis Sacrum exaudire?

Non solum in diebus Dominicis, ac Festis videtur teneri quis Sacro interesse, sed etiam in Feriis Quadragesimæ. Quia in cap. solent. de consecr. dist. 1. expresse dicitur, quod præfatis diebus debet ieiunium solui vespere, largitis elemosynis, & audita Missa. Sic Brocard. libr. 1. capit. 105. & alij, quos pressio nomine, refert Azor. tom. 1. libr. 7. cap. 4. quest. 2.

Minime tenetur quis ex vi huius præcepti Quadragesimæ Feriis interesse Sacro. Quia sic fert usus, ac praxis Ecclesiæ, omnibus Doctoribus consentantibus. Ita Tolet. lib. 6. cap. 8. num. 2. Barbosa ad cap. Solent. numer. 2. Scortia de Sacrif. Miss. lib. 2. cap. 2. numer. 1. Henriquez l. 9. c. 25. m. 3. Azor. citatur. Armil. v. Missa, n. 29. Tabie. n. 46. Angel. n. 57. Nauar. summ. c. 21. n. 2. Syluest. v. Missa, l. 5. 7. & v. Missa, l. 2. §. 1. & alij communiter.

52 Tenetur quidem.

53 Non tenetur.